

UN TUR 0335

DE
E C Z E M A T E,

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITERARIA TURICENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XVIII. MENSIS MARTIS A. MDCCCXLVI.

PUBLICAE DEFENSORUS EST

AUCTOR

PAUL. CAROL. FREDER. MORTHIER

NEOCOMENSIS A DOMBRESSON.

ZENTRALBIBLIOTHEK
ZÜRICH

TURICI

EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FERRERI.

1846.

m. UZ. 335.

UNION

U. S. M. A. T. E.

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

RESEARCH AND DEVELOPMENT

ZENTRALBIBLIOTHEK
ZÜRICH

... 215 . 232 .

S O D A L I

DILECTISSIMO

JUL. LARDY

DOCT. MED. CHIR. ET ART. OBSTETRICIAE ET MED. PRACT.

H O C L I B E L L U M

D. D. D.

AUCTOR.

Cum versarer Vindobonae, plures menses eam partem institutionum frequentavi, quae tractant exanthemata, in aedibus publicis aegrotorum, aut-piciis ill. Doctoris Hebra. Ubi occasionem habui, plerasque species eczematiss observandi, quae res me adduxit, ut varia Eczemata ordine componenda mihi proponerem dissertatione inaugurali. In qua re secutus sum divisionem illius viri illustrissimi, item ejusdem therapiam, optimam adhuc notarum rationum eczematiss chronici curandi.

DE

ECZEMATE.

Nomen eczematiss a Graecis venit — «*eas ἐκζήματα* ab ebulliente fervore Graeci vulgo appellant» (Aëtius, tetrab IV. tom. I., cap. 128.) «neque tantopere usitatum est ut nomen Herpes, quo aliquando omnia exanthemata chronica significata erant.» Ill. Fuchs in monographia sua de Exanthematis ei Psydriaciae nomen primum a J. P. Frank statutum praetulit. Alibertus nonnisi incertas notas animadvertens, diversas eczematiss species omnino separavit inter se, quarum alias Dartres, a squamulis, alias Herpes a vesiculis etc. nominavit.

Ut eczematis descriptio exponatur, tres species praecipuae discernendae sunt. Eczema acutum, chronicum, et impetiginosum.

Eczema acutum (Biet) *Eczema simplex* (Hebra).

Eczemati acuto erupturo plerumque, quamquam non semper, acris pruritus et ardor praecedit; deinde existunt aliquo loco corporis, plus minus densa, multitudo vesicularum acuminatarum, quae sedem in folliculis cutis habent, inter corion et epidermem vel inter strata epidermis; impletae sunt fluido liquido, seroso, reactionis indifferentis vel acidae. Crescunt ad quendam gradum et dirumpuntur: contento profuso, in locis vesicularum rubra puncta existunt.

Sex vel octo diebus post, materia fluere desiit, quo facto epidermis, albescentium et furfuracearum squamularum specie destringitur, sub quibus iacet cutis rubra et splendens, vel, si morbus benignior erit, sana. Sic perfectus est morbi processus, aut denuo erumpuntur vesiculae, et eczema fit chronicum. Rarissime eczema acutum febrim secum fert, et quidem nonnisi si late dispersum est.

Eczema acutum praecipue apparet in hominibus cute irritabili et subtili praeditis, ideoque plerumque in mulieribus et pueris; et saepissime ex rebus extrinsecus irritantibus consequitur.

Eczema acutum uno cum Herpe confundi potest; sed id discrimen intercedit, ut Herpes ex vesiculis catervatim sese

stipantibus et erumpentibus constet, quae maiores ac eczematosis fiunt; et si novae prorumpunt, iuxta locos antea affectos proveniunt.

In Eczemate contra quoddam spatium non regulariter circumscriptum pariter corripitur. Vesiculae dense sese stipant sine ullo ordine, et quae deinde sequuntur in iisdem locis erumpere solent.

Eczema acutum saepissime in eczema chronicum transit, ita ut revera eae duae species pares sint, nec nisi diuturnitate morbi discernantur.

Eczema chronicum. *Eczema rubrum* (Aut.).

Eczema rubrum sua sponte existit, aut consequitur ex eczemate acuto, et id peculiare habet, ut cutis colore rubro afficiatur etsi non incenditur. Quod superficies rubra est, id consequi solet ex squamulis decidentibus, ex epiderme attenuata. Nota illa non sufficit ad speciem discernendam, quamobrem nomen *Eczema rubrum* non accepimus, colore rubro illo praecipue ex repetitis eruptionibus nascente.

Si chronicum fit eczema, folliculi, sedes quasi morbi, turgescunt, cutis substantia suffunditur sero et densa fit, superficie densa et splendente, et multitudine parvarum acuminatarum vesicularum strata est. Vesiculis dirruptis rubra puncta existunt, et saepe fricando *excoriatio*. Fluidum exsudatum diffunditur per cutem, quae ideo humida videtur, et epidermis exsudando elata delabitur specie squamularum plus minus parvarum, vel lamellarum flavescens, ut propositum esse soleat cutis spatium rubro colore suffusum, squamis obductum et uvidum, in cujus orbis margine praecipue parvae vesiculae haerent, et cutis tantopere sero suffusa est, ut plicari non possit.

Nonnunquam eruptione valde rapida, quidam numerus vesicularum in unam vesicam confunditur, quae metitur diametro ad dimidium pollicis, ita ut quis moveri possit ad hoc malum *Pemphylum* habendum; sed corona vesicularum resistantium et pruritus diagnosim faciliorem reddit.

Eczema impetiginodes. (Bateman.)

Psydracia flavescens (Fuchs.).

Eczema impetiginodes vel impetiginosum originem habet aut primariam aut secundariam.

In primario pariter eodem loco vesiculae et pustulae erumpunt. Vesiculae serosum fluidum profundunt, quo cutis usque madescit; pustulae siccantur et crustae fiunt, ita ut nobis proposita sit cutis pars uvida, rubra, saucia, partim flavescentibus crustis obducta, quae species plerumque in partibus pilis vestitis apparet, et vulgo ab Impetigine non discernitur. Secundariam originem eczema impetiginodes habet, si eczemate simplice primum existente, vesicularum fluidum in pus mutetur. Vesiculis pustolosis disruptis, squamulae vel lamellae quaedam flavescentes, sed nunquam crustae existunt, quae species saepe consequitur ex materiis acribus in cutem agentibus. Affecta cutis pars simul vesiculis, pustulis et squamis obducta est, colore rubro suffusa et crassa, vel ad naturae leges tincta, et non densata.

Omnes eczematis species ad illa tria genera redigi possunt. Antea Dermatologi autem plurima Eczematis genera discreverant, quorum discrimina et a causis et a sede repetita sunt. Quae ordine suo persequemur, a causis initium facientes.

Causae eczematis maxime variae sunt, tam proximae quam remotae.

Genera ab iis discretá sunt:

Eczema sudorum. *Psudracia acuta hydroa* (Fuchs).

Species simplicissima et acutissima ezematis; consequitur ex profusis sudoribus, praecipue in collo et pectore, et sua sponte evanescit.

Eczema solare.

Item eczema acutum est, quod existit aestu aestatis, ex solis radiis in partes nudas obiectas valentibus. Crebro comparet in collo, pectore, brachio, praecipue in mulieribus, quamquam in omnibus corporis partibus oriri potest, si soli obnoxiae sunt. Eruptio duas vel tres hebdomades durare solet, valetudine in universum non turbata et finem facit *desquamatione*, aut redit, quo eczema chronicum fit.

Causa respecta omnes species natae ex immodico calore vel frigore referri possunt ad eczema solare, exempli causa Psoriasis pistoria, Psoriasis lotorum, etc. (Aut).

In omnibus fabris igneis, pistoribus, nec non aromatariis et opificibus muralibus apparet eczema simplex vel impetiginosum in manibus.

Variis medicamentis eczema nostro arbitrio effici potest. Species separata statuta est eczema oriens ex usu hydrargyri; cui nomen inditum est

Psudracia acuta mercurialis (Fuchs). *Hydrargyria* (Rayer).

Id est eczema rubrum praecipue existens in cavo axillae, in interiore superficie femorum, in scroto aliisque locis; nonnunquam nonnisi quosdam locos occupat, quamquam totam corporis superficiem occupare potest; progressus nunquam valde acutus est, quin etiam chronicum fieri potest. Oleo Crotonis oblinendo pulcherrima ezematis species efficitur. Unguentum sulphuris usitatum contra scabiem saepissime eczema gignit; ita ut quis adduci possit ad credendum

scabiem nondum sanatam esse. Sed tunc desunt ductus sarcoptis et hoc eczema ultro evanescit nonnullis diebus.

Non minus eczema efficiunt Vaporaria, sulfas cupri et zinci, kali causticum, sapo, Ioduretum kali, cortex mezerei. Fuchs separatam speciem statuit *Psydraciam acutam urticatam*, eczema quod existit ex usu externo vel interno olei terebinthinae, nec non balsami Copaivae, petrolei, olei chaberti, etc. Haec species praecipue in ventre comparet et ultro evanescit causa amota.

Sed sunt eczemata, praecipue speciei chronicae, quorum causae difficiles inventu sunt; sanguinis prava compositio, consequens ex morbis cordis, saepe eczema chronicum gignit, et alia exanthemata chronica semper certis temporis spatiis redeuntia: quae haud scio an adduxerint ad statuendum Asthma psoricum, herpeticum, etc.

Eczema impetiginosum spectari solet ut productum ex Dyscrasia serophulosa, saltem si in pueris apparet. In adultis etiam universales morborum causae adhibitae sunt, ut venter affectus, menses turbati, Hemorrhoides, digestio et uropoiesis turbatae, etiam rationes annorum climactericorum.

Eczematis generum, praecipue chronicorum, quorum causae non exploratae sunt, sedes fundamentum divisionis statuta est, quam divisionem iam persequamur a capite incipientes, et usque progredientes ad pedes.

In capite omnia tria eczemata occurrunt. Cum omnia exanthemata capitis antea *Tineae* vocarentur, Fuchs ea nomine *Psydraciae tineae* complexus est. Universum vocari potest *Eczema capillitii*.

1. *Eczema acutum capillitii*. *Psydracia tineae furfuracea* (Fuchs).
Porrigine furfuracée (Alibert) *Eczema du cuir chevelu* (Rayer).

Plerumque apparet in pueris, et in Eczema chronicum transire solet.

2. *Eczema chronicum capillitii*. *Psydracia tineae amiantacea* (Fuchs). *Porriginæ amiantacée* (Alibert). *Pityriasis amiantacée* (Rayer). Omnino nulla re discretum est a modo allato et nonnunquam cutem sero suffundit. Quod usque squamulae delabuntur, id Rayer adduxit, ut ad genus Pityriasis referret. Sed quamquam vesiculae non videntur, tamen sub squamulis cutis saucia, madida, nonnunquam sero suffusa est, id quod hunc morbum perspicue a Pityriasi discernit.

Eczema faciei, Herpes faciei: Eczema acutum vel chronicum est in facie apparens.

3. *Eczema impetiginosum*: quae species creberrime in capite apparet, et varia nomina habet, prout in pueris vel in adultis occurrit: in infantibus *Crusta lactea, Porrigo larvalis* (Willan) *Melitagra flavescens* (Alibert) *Impetigo des enfans* (Rayer): existit praecipue in facie, in genis et fronte, et plus minus patet. Quod hoc eczema ab Impetigine discernit, id sunt vesiculae semper madescentes et quae dirumpendo cutem sauciam et rubram reddunt. In adultis hoc eczema plerumque in parte capitis pilis vestita apparet, et pertinet usque ad aures et cervicem. Si multae crustae inter pilos colliguntur et recentibus amoventur, neque demuntur, pilos conglutinant, ut efficiant *Trichoma spurium*.

Eczema auriculare. *Sive aurium.*

Est simplex vel saepe, tardius progrediens, eczema chronicum fieri potest. Sedes eius est in auricula, quae suffunditur sero, et duplicem modum sanae accipere potest. De-

inde malum procedit per meatum externum auditus, ex quo aurium gravitas, quin etiam plena surditas consequi potest. Nec minus partes vicinae afficiuntur, praecipue post aurem. His autem partibus sero suffusis, ubi cutis parum lenta est, saepe ragades oriuntur, ex quibus fluidum sanguine mixtum emanat.

Eczema mammarum.

Est rubrum, papillam mammae coronans, quod praecipue occurrit in mulieribus gravidis et lactantibus, sed saepe etiam in puellis vel viris.

Eczema penis.

Est molestissimus morbus, incipiens ab acri pruritu. Penis turgescit et vesiculis adspergitur. Fricatio a qua aegroti abstinere non possunt, efficit excoiationes: vesiculae magno numero aliae post alias erumpunt, item cutis suffunditur, et penis duplici vel triplici modo crassior fieri potest, unde venit ut hoc membrum erectionibus doleat; ardor et pruritus intolerabilis, praecipue in lecto tepido efficiunt, ut haec pertinax species nonnunquam incommodam vim in universam valetudinem hoc morbo laborantium exercent.

Eczema scroti.

Scrotum rubescit et vesiculis obducitur, quarum fluidum perpetuo emanat et humectat. Acris pruritus efficit fricationem eaque excoiationes. Hoc malum solum apparet, vel cum eczemate penis coniunctum.

Eczema muliebrum.

Eadem species est ac prior nisi quod in genitalibus muliebribus apparet.

Eczema podicis. *Pygagria amorpha et granulata* (Fuchs).

Sedem habet in perineo et ad anum; efficit acrem pruritus et ardorem; squamulae delabentes plerumque non

conspiciuntur, cum statim fricatione amoveantur, sed cutis perpetuo saucia, humida et excoriata est. Hoc malum molestissimum est, ut perpetuo irritans ad fricandum. Fuchs hanc speciem refert ad genus Hemorrhoidum; sed eadem occurrit in hominibus hemorrhoidibus non laborantibus, neque unquam sanatur remediis, quae hemorrhoidibus opponi solent.

Eczema marginatum.

Hæc species ut separata ab ill. Hebra statuta est: apparet eodem loco ac Intertrigo adultorum et præcipue in sutoribus et specie eczematidis rubri. Hæret in interiore superficie femorum, ubi Scrotum adiectum est et in omnes partes progreditur orbem formans. Idem malum pigmentum fuscum relinquit.

Loci porro, ubi eczema creberrime existit, cavum axillae, poples, cubitum, etc. sunt.

Eczema rubrum chronicum in membris apprensus, dignum est quod singulari diligentia spectetur. Idem dicitur

Eczema chronicum (Willan).

Herpes squammosus humide. (Alibert.)

Sæpissime oritur in cruribus et insigne est progressu chronico et diuturno. Vulgo medicis non ante curandum traditur quam cutis sero suffusa sit. Deinde illud membrum satis crassum est, nonnunquam duplice vel triplice modo. Cutis rubra est, squamulis vel lamellis obducta, sub quibus vesiculæ, vel puncta rubra conspiciuntur. Cutis tam crassa redditur ut non jam plicari possit. Membrum nonnunquam Infiltratione prorsus difforme fit et impeditur quominus agat, quamquam valetudo universa omnino non turbari solet.

Cum Elephantiasi mutari possit, sed cute humida et

quod desunt papillae hypertrophicae facile discernitur. Ba-teman imaginem hujus morbi nomine *Ichthyosis cruris* tradi- dit, sed in Ichthyosi non serum secernitur neque cutis suf- funditur, et epidermis squamulas excutit ut piscium squamas.

Prognosis in universum fausta est, in omnibus his ge- neribus. Acuta eczematata autem ultro evanescent, universa valetudine non turbata. Species chronicae difficiles sanatu sunt, quamquam nunquam vitae periculum afferunt. Etsi Pathologi veteriores maxime verebantur eczematosis metasta- ses, recentioribus temporibus non dubitant eczema quam celerrime expellere.



DE ECZEMATIS THERAPIA.

In Eczemate acuto optimum et simplicissimum remedium frigus est, quod affertur frigidis fomentis, frigida embrocatione (Douche), glacie et nive. Etiam fuerunt qui suaserunt simul rationem remediorum internorum frigidorum, antiphlogisticorum sequi, quod quidem necessarium non est; nonnisi in iis casibus, ubi exanthemate late disperso valetudo feбри afficitur, licet diaetam mitem et succum citrorum (limonade) bibendum commendare. Medicamina laxantia nihil mutant et omitti possunt. Si autem malum chronicum fit, non jam sufficit frigus singulis locis allatum; tum enim remedia validiora legenda sunt quorum optima caustica sunt. Omnia caustica eo adhiberi possunt, sed ex periculis ab ill. Hebra factis Kali causticum aptissimum est. Acida mineralia id incommodi habent, ut vehementes dolores efficiant, ita ut si magnum spatium tingendum est, laborantes vix sustinerent ejus modi remedia saepius usurpata. Argentum nitricum felici successu adhiberi potest, ad dosim ℥j in ℥j-j aqua. Sed cutem colore nigro tingit, postea tollendo. Kali causticum autem id commodi habet ut nonnisi temporis momento dolores efficiat, neque cicatrices relinquat. Quod quidem remedium praecipue bonum est cute valde suffusa, sed adhibendum est solutione concentrata ℥j in ℥j-jv aquae, et partes suffusae ea strenue imbuendae sunt. Hoc Kali cum sero suffuso compositum saponem reddit.

Simul etiam excoriationes oriuntur quae quidem respectu non dignae sunt. Quotiescumque membrum aegrotum im-

buitur, fomenta frigida applicantur ad reactionem moderandam. Deinde morandum donec excoriationes sanatae sint, quo facto eadem ratio repetitur, donec omnia vestigia infiltrationis evanuerint et cutis justam conditionem acceperit. Si eczema in crure sedet, necessarium est ut aegrotus inter curandum lectum obtineat; et si cutis admodum suffusa est bono successu compressio una cum remedio caustico adhiberi potest.

Si agitur de hominibus qui caustica remedia metuunt, nonnunquam felice quanquam tardo successu usurpari potest zinci sulphurici \mathfrak{z} j in sperma ceti et olei amygdalarum ana $\mathfrak{z}\beta$, vel axungiae \mathfrak{z} j ad unguentum. Eadem ratione periculum facere licet de Joduretis sulphuris et plumbi.

Eczema impetiginosum non minus simplicem rationem postulat. Crustae amoventur, partes affectae cutis purgantur, in quibus frigida fomenta applicantur. Remedia laxantia vel Antimonialia simul adhibita omnino progressum non compensant.

Illis temporibus quibus medici deterriti erant formidine metastascon herpeticarum, abstinebant a malo singulis locis curando, sed plurima remedia interna tentabant contra eczema, sed parum fausto successu. Remedia deinceps ad eam rem laudata sunt Species lignorum, Stipites dulcamarae, antimonialia, sulphur, aquae sulphure imbutae, laxantia, tinctura cantharidum, acida mineralia etc. Ut remedia egregia *heroica* laudabantur Anthracokali, Mercurius sublimatus corrosivus, Jod et Arsenicum. Sed facile intellectu est omnia haec remedia interna omnino nullum effectum habere in eczema loco certo fixum et inveteratum, idqui nonnisi remediis in singulos locos facientibus amoveri posse.



THESES DEFENDENDAE.

1. Hydrocele acquisita non alio modo nisi per incisionem sananda est.
2. Abscessus metastaticus non est.
3. Venae sectionem in Pneumonia fieri non oportet.
4. Cephalotripsia perforationi praeferenda est.
5. Animi materni affectus in foetum transferri possunt.
6. Symphysiotomia omnino non est rejicienda.
7. Medico licet mentiri.
8. Eclecticismus optima semper erit ratio medicorum.